





8836

~~1770~~ 65.

EXERCITATIO IVRIDICA  
QVAESTIONEM CONTINENS

*Vtrum iudex appellanti  
indulgere et apostolos gratis dare  
possit.*

22

Q V A M

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE  
P R A E S I D E

D. FRID. GOTTLIEB ZOLLERO

COD. P. P. ECCLES. CATHEDR. MARTISB. CAPITAL. CVRIAE  
IN PROVINCIA SVPREMA IVDIC. LVSAT. INFERIOR.  
NEC NON FACVLT. IVRID. ASSESS. ET  
ACADEM. DECEMV.

I N A V D I T O R I O I C T O R V M

D. XVIII. OCTOB. MDCCLXX.

PVBLICE DEFENDET

CAROLVS FRIDERICVS CONRADVS  
T S C H O E R T N E R

CAM. LVS. SVF.

L I P S I A E

E X O F F I C I N A L A N G E N H E M I A .



EXERCITATIO  
DE  
D. CAROLO FRIDRICH COHN  
IN  
MAGISTERIO  
D. CAROLO FRIDRICH COHN  
IN  
MAGISTERIO  
D. CAROLO FRIDRICH COHN  
IN  
MAGISTERIO





§. I.



**D**iuersa dantur remedia, per quae sententiam ad impediendum effectum executionis a re iudicata detinemus. Circa eorum diuidicationem ad diuersas locorum dispositiones ut respiciamus, necesse est. Extra Saxoniam vbi iure communi vtimur, beneficium appellationis, supplicationis, reuisionis, quaerelae, et dictionis nullitatis imo restitutionis in integrum obtinet, ast Ius Saxonicum illis, qui per sententiam se grauatos sentiunt,

A 2

tan-



tantum leutationem, et appellationem ad emendan-  
dam iniquitatem, in sententia iudicis obuientem,  
tribuit. Vtrumque quidem remedium bonum est,  
aequitas etenim desiderat, ne supprimatur iustitia, et  
laesae parti denegetur auxilium, optandum tamen  
esset, vt appellationes in quantum fieri potest, re-  
stringeremus. Quotidiana experientia docet, se-  
piuscule hanc impium suppeditare praesidium illis,  
qui vt lites protrahant, et iustam actoris petitionem  
differant, omnem adhibent operam.

#### §. II.

Obiectum circa quod hoc remedium versatur  
in regula vnum quodlibet est grauamen, quod per  
iudicem infligitur parti, teste Pontifice *c. 12. X, de  
Appellation.* Hac ex re non solum in causa ciuili,  
sed etiam criminali delinquenti ad id confugere iure  
Romano licebat *l. 1. C. 19. (de Appell. Berlich. P. II.  
Dec. 231.* Ast iure saxonico hoc correctum inue-  
nimus, nec in omnibus negotiis admittitur appel-  
latio, multo minus in processu criminali, quatenus  
per modum inquisitionis de delicto cognoscimus,  
in processu enim accusatorio quoties is obtinet, ali-  
ter pronunciamus, et cum in hoc genere processus,  
formalia processus ordinarii obseruari soleant, uti-  
que hoc remedium eo cum effectu, vt appellans ad  
iustificationem admittatur, locum habet, conf. *Carpz-  
ea*



*Pr. Crim. Quaest. 139. n. 16. Berger oecon. iur. lib. 4. tit. 28. th. 4. not. 1. p. 136.* Hoc vero non ita intelligendum, ut iudex inferior appellationem reiicere, et ea non obstante, ulterius procedere possit, eius enim arbitrio hoc minime relictum est, nisi Princeps, qui de hoc remedio cognoscit, ut in exequendo pergat expresse disposuerit.

§. III.

Diuerfa sunt fatalia, quae partim iure communi, partim saxonico, ab appellante, ne appellatio deserta dicatur, obseruari debent, quae cum ex compendiis iam satis sint cognita, ut ulterius prosequamur, non necesse est. Vnicum tantum nempe fatale redimendorum apostolorum, cum huic exercitationi conueniat, paulo penitius inspiciamus, *Est autem certum temporis spatium, intra quod appellans sumtus iudici soluere, et apostolos sub poena desertae appellationis, redimere tenetur.* Hoc fatale, cuius spatium iudex inferior determinat, iure saxonico, dummodo casus in *ord. Recog. tit. XXXV. §. 7.* commemoratos, excipias, eum praestat effectum, ut eo neglecto, appellatio dicatur deserta, quamuis grauamina ita sint comparata, ut reformatariam prioris sententiae operari possint.

§. IV.

Quae cum ita se habeant, oritur quaestio, an iudicis arbitrio relinquendum, utrum appellanti circa



redemptionem indulgere, vel apostolos gratis dare velit. Fingas casum. Titius contra sententiam condemnatoriam, ad interruptendum effectum rei iudicatae, remedium appellationis interponit, a iudice inferiore, consueto modo, vt apostolos redimat, citatur. Ast pecunia destitutus iudicem implorat, vt ipsi indulgeat, et apostolos ad iudicem superiorem mittat. Is precibus commotus, petitioni defert, et tempus solutioni praefinitum differt. An in praecudicium alterius partis hoc fieri possit videamus.

§. V.

Affirmatiua sententia fortan ex eo defendi possit, si considerare velimus, iudicis personam in hoc casu concurrere, cui leges, ne ob expensas, praecudicium sentiat, prospexerunt. Cum etenim iudicis officium aliqua ex parte sit mercenarium, et sportulae, quatenus summam, legibus determinatam, non excedant, debeantur, media easdem exigendi, et litigantes partes ad soluendum cogendi, iudici nunquam sunt deneganda. Quapropter Imperator *l. 15. C. de Iudic.* disponit, vt omnes iudices, si quando persona absens citata, postea apparuerit, non aliter debeat ei iudiciale aditum reuelare, sed omnem claudere iudiciorum copiam, nisi prius omnia damna restituat ex huiusmodi vitio aduersariis eius inflictis, siue circa ingressus litis, siue circa salaria aduocatorum, sed alias causas quae in iudicio





cio versantur, addita clausula poenali, vt si hoc praetermiserint, ex sua substantia huiusmodi detrimentum laesis refarcire compellantur. Quam legem quoque legislator saxonicus *Ord. Recogn. Tit. XXXVI. §. 2.* probat, ne tamen iudex in excedendo peccet, nimiumque rigorem, ab aequitatis principiis alienum, exerceat, declaratoriam addit, vt iudici licentia excludendi partem a iudicii limine competat tantum respectu expensarum quae in re iudicata consistunt, et vltiori disquisitioni non subiacent. Eadem ex ratione parti, quae restitutionem honorarii quod iudex pro sententia ex suo patrimonio soluit detrectatur, publicatio denegatur, nec querelam eo nomine contra iudicem, propter expressam dispositionem *Ord. Rec. Tit. XXXIV. §. 5.* mouere potest.

§. VI.

Haec itaque sanctio in vtilitatem iudicis constituta, cessat, si iudex ad illam prouocare nolit, cum quilibet fauori pro se introducto renunciare queat. Quid enim interest aëtoris, vtrum reus sumtus litis soluat, nec ne. Nullum exinde sentit praeiudicium, multominus factò iudicis ipsi infertur iniuria, ex qua ius contradicendi nascitur. Cum igitur iudici competat potestas in genere sumtus litis remittendi vel dilationem dare parti, probabilis exinde deducitur conclusio, quod idem etiam fit sentiendum de expensis, quarum



rum exactionem pro redimendis apostolis leges ipsi tribuunt.

§. VII.

Alii distinctionem hac in re adhibent, vtrum contumacia appellantis circa redemptionem apostolorum iam fuerit accusata, ab appellato nec ne. In priori casu negant iudici competere potestatem concedendi dilationem vel remissionem expensarum, ast in posteriori adfirmant; quae sententia haud exiguum probabilitatis gradum attingere videtur, cum aduersa pars ex contumaciae accusatione ius consequatur quaesitum quod facto iudicis auferri vel minui nequit. Nec deficiunt argumenta, quae ob paritatem rationis ad eundem casum adplicari possunt. Nempe circa litis constationem *Ord. recogn. tit XVI. §. 1.* dispositum scimus, *die litis contestation soll gleich im ersten Termine sub poena confessi et conuicti geschehen, und hierauf in dessen Unterbleibung, wenn der Beklagte hierzu richtig citiret gewesen, würrklich erkannt werden.* Nihilominus tamen ab hoc rigore recedimus, et rationem habentes *§. 1. tit. IV. et §. 2. tit. X. Ord. Recogn.* omissa contumaciae accusatione reum pro confesso et conuicto non habemus. conf. *Illustr. Hommel. Rhapsod. obs. III.* potius reum qui elapso septiduo antequam actor eum accusauerit responsionem congruam ad acta dedit, adhuc admittimus.

§. IIX.



## §. IIX.

Ast si rem paulo penitius confidero, fateor ipsam hanc distinctionem nullius esse ponderis, si praesuppositum veritate nititur, fatale nempe redimendorum apostolorum in fauorem iudicis, vt is respectu sumtuum et expensarum reddatur securus esse introductum. Contumaciae enim accusatio, partis vindicat negligentiam ex qua alteri aliquod fauorabile accedit. Id igitur quod ad iura partium pertinet et ex earum voluntate, vtrum vindicare velint nec ne, dependet, contumaciae accusationem desiderat, vt constet aduersarium, ius sibi quaesitum tali modo vindicare voluisse. Ast quomodo hoc adplicari potest ad praesentem casum, quo iudex appellanti vt salua sit expensarum petitio praeiudicium iniungit. Quod si enim perdere velit iudex sumtus, illius arbitrium ab aduersa parte nec tolli, nec per accusationem contumaciae restringi potest.

## §. IX.

His praesuppositis, quae nostra hac de re sit sententia, dicamus. Negamus constantissime quod iudici competat potestas, si appellanti redemptionem apostolorum sub poena desertionis iniunxit apostolos gratis dare, vel solutionem differre. Distinguendum etenim est, inter id, quod iudicem solum

B

et



et iura partium concernit. In priori casu arbitrio iudicis res relinquitur, at in posteriori cessat arbitrium, cum parti praeiudicare et eius iura diminueri nequeat. Concurrit utique in hoc casu ius appellati. Remedio deuolutiuo interposito, differtur ius exequendi debitum et iudex inferior qui de appellatione cognoscere minime potest, impeditur quominus paratam actori praestet executionem; ut itaque obstaculum quod sepimentum iustitiae ponit, remoueat, ad redimendos apostolos appellans citatur, eique praeiudicium, ut nisi expensas soluerit appellatio habeatur pro deserta, iniungitur, quod aduersa quoque pars a iudice petere potest. Effectum ut habeat hoc praeiudicium necesse est, cum ea intentione ut citationi obtemperet citatus, iudex id decernat. Resultat itaque ex ea comminatione in aduersam partem haud exigua utilitas, quod si enim appellans non redemerit apostolos, appellatio destituitur effectu, quamuis grauamina ita sint comparata, ut reformatoria prioris sententiae sequi possit, quam ob rem, quoties iudex inferior neglectam esse redemptionem apostolorum refert, appellatio reiicitur, et acta ut executio sententiae fieri possit, statim remittuntur. Cum itaque contumaciam committat appellans, qui citationi non comparet ex contumacia vero appellato nascatur ius, iudex sua indulgentia ipsi praeiudicare haud potest.

§. X.



## §. X.

Accedit et aliud; Legibus nempe appellanti certa fatalia sunt praescripta, ad quae et sine dubio id, quod appellamus redimendorum apostolorum pertinet. Ait enim Pontifex *clement 2. de appellationibus: sufficere apostolos peti vno contextu saepius et instanter, ad quos recipiendos si iudex certum terminum statuatur, appellans illos non petens in termino, appellationi renunciat. Idem cum iudex statuit terminum iuris incertum, intra quem appellans illos debite, non petiit, vel oblatos recipere renuit.* Fatalia semel legibus determinata cum per se sint odiosa, et restrictionem potius quam extensionem admittant, a iudice inferiore nisi lex permittat, aut iusta quaedam obuerfetur causa prorogari nequeunt *Wernh. P. VII. obs. 216. Macu. P. III. Decif. 167.* Ad cuius obseruantiam enim leges iudicem adstringunt, id eius arbitrio, vt recedat non est relinquendum. Cum itaque non solum iuxta principia iuris Canonici, sed etiam saxonici incumbat appellanti redimere apostolos, eidemque poenam imposuerint leges, si fatale neglexerit, frustraneum suscipit actum iudex, qui appellanti dispensationem, quae tamen ex eius potestate minime dependet, concedere, et apostolos gratis dare velit. *conf. Leyser spec. DCLV. medit. 25. Berger oecon. iur. lib. IV. T. XXIIIX. §. 5. not. 7.*


B 2

§. XI.



## §. XI.

Datur tamen exceptio, si nempe appellans non habeat bona, unde sumtus iudiciales soluere possit, et iura pauperum consequutus fuerit. Cum enim leges prospexerint pauperi, ut nec sumtus extraiudiciales nec iudiciales, nisi ad meliorem perueniat fortunam soluere teneatur, sed posteriores ex fisco suppeditare cogatur iudex, nullum est dubium, quin et pauperi circa fatale redimendorum apostolorum, indulgere possit.









VD B

cb.

ULB Halle  
004 997 506

3





8836

~~1770~~, 65.

EXERCITATIO IVRIDICA  
QVAESTIONEM CONTINENS

*Vtrum iudex appellanti  
indulgere et apostolos gratis dare  
possit.*

22

Q V A M

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE

P R A E S I D E

D. FRID. GOTTLIEB ZOLLERO

COD. P. P. ECCLES. CATHEDR. MARTISB. CAPITAL. CVRIAE  
IN PROVINCIA SVPREMA IVDIC. LVSAT. INFERIOR.  
NEC NON FACVLT. IVRID. ASSESS. ET  
ACADEM. DECEMV.

IN AVDITORIO ICTORVM

D. XVIII. OCTOB. MDCCLXX.

PVBLICE DEFENDET

CAROLVS FRIDERICVS CONRADVS  
T S C H O E R T N E R

CAM. LVS. SVR.

L I P S I A E

EX OFFICINA LANGENHEMIA.

